



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Co[n]stantij, Valentis, Hunerici VVa[n]dalorum regis, aliorumq[ue]
malus exitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

libris recenset; aut quæ Gregorius Turonensis, Ioannes Vascus, Sigebertus, & Paulus Diaconus; immo Eusebius, Socrates, Nicephorus, alijque, & ex illis Baronius, copiosè persequuntur. Paucula quædam dumtaxat, quæ nos saltem causa, si non & tempore, & loco viciniùs attingunt, gratia exempli perstringam, vt discamus consiliù, quod ex Deo capitur, firmiter utiliusq; esse omnibus ijs consultationibus, quæ ab humana Politici, vel potiùs Machiauellistici status ratione sumuntur: nec stabile esse regnum vllum, cuius fundamentum pietati non innititur. Rectè enim S. Thomas dixit: sapientia & potentiam germanas esse comites vera Religionis, & tanta societate iunctas, vt hac ruente, illas pariter ruere necesse sit. Quod verissimù esse, non ex hoc solùm cognoscimus, quòd in quibus provincijs & regnis floret Religio, in eisdem etiam plerumque sapientia potentiaque vigeat; sed quòd etiam quicumque Principes à Religionis regula deflexerint, fallacemq; potiùs mortalium prudentiam, quàm Dei legem, in consiliùm adhibuerint, cum principatu simul prudentiam ac potentiam perdant. Cuius rei probandæ gratia profert Petrus Ribadeneira non solùm aliquorum Principum sacra, sed etiam profana exempla, qui cum regni administrandi modum ad humanas & civiles rationes, non ad diuinas leges & præcepta reuocarent, sibi perniciem pepererunt; & quibus artibus regna sua maximè conseruata cupiebant, ijsdem prostrauerunt ac funditus euerterunt. Sacra exempla è diuinis litteris nos suprà satis multa attulimus; profana, sed Christianorum hinc aliqua in compendio apponere non pigebit.

Vt ergo quædam strictim percurram, quis nescit Constantij, quis Valentis Imperatorum calamitosos, sed meritos exitus? quis non audiuit Hunrici Wandalorum regis, aut Basilisci capitalis hostis Concilij Chalcedonensis iustissimas pœnas? Et quidem Basiliscum Zeno, Zenonem autem propria coniunx Imperio priuauit; immo & viuum hunc vxor iussit sepeliri, vino sepulcra. Heraclius initio & Catholicus, & animi fortis ac generosi princeps fuit, at posteaquam hæresi attaminatus est, facta plurimum ac nobilissimarum Orientis prouinciarum iactura, obscæno morbi genere infelicitè absumptus est. Philippus Iconomachus de imperio

S. Thomas
Opusc. 20.
lib. 2. c. vii.

Petrus Ribadeneira
lib. 1. de Principibus Christianorum
c. 19.

IV.

Thom. Bez.
lib. 5. de Significationibus
Eccl. cap. 11.
Sig. 15. Zonaras tom. 3.
Paul. Diaconus
lib. 7. c. 1.

Geneb. An.
1532. Ribad.
lib. 1. c. 29

Carol. Sigon.
lib. 3. de Imp.
occid.

Seuer. Sulpit.
lib. 2. hist.
sacr. S. Leo.
ep. 93

Roderic. Ar.
chiep Tolot.
lib. 2. cap. 15.
Marian de
reb. Hisp. l. 6.
cap. 19.

perio penitus depulsus fuit, eiusque nomen è nummis abrafum, è publicis tabulis deletum, ex alijs monumentis reuulsam, & ex officio Missæ liturâ sublatum. Leoni Imperatori occidentis Imperium ablatum est, data Gregorio III. summo Pontifici iustissima causa, vt illud à Græcis ad Germanos transferret. Christianus Daniæ rex, Catholicæ religionis defensor, regno pariter ac libertate fuit spoliatus. Sed his exemplis, & notissimis pratermissis, id vnum dumtaxat addamus, prater miserandos exitus, quos demonstrari, ait Ribadeneira, malis Principibus, Deo vindice contigisse, eodem etiam ulsore grauitè regna & prouincias puniri, in quibus Princeps improbos errores atque hæreses impiè fouet, easque de industria permittit, vel negligentia, iniuria, & dissimulatione sustentat; quod exemplis, qua mox subiiciam, fiet manifestum. Gothi principio fuerant Catholici: itaq; ex eorum episcopis vnus, cui nomen Vlpilas, Concilio Nicæno interfuit. Hic à nonnullis Arianis seductus atque deprauatus Gothi venenum erroris instillauit: vixq; satum fuit hoc malum, cum simul dissensionum & diuisionum causa creuit; quo factum est, vt Hunni in Gothos irruerint, eosque victos è terris, quas occuparant, ac possidebant, deturbauerint. Quando ydem Gothi sub potestatem suam Hispaniam redegerant, eas hæretici Priscillianista corruperant, & inibi magna auctoritate dominabantur; vt ex historia Seueri Sulpitij, & epistola quadam Leonis primi, perspicuum est. Sed eamus in Hispaniam.

V.

Vitiza Hispaniæ rex, clementia, quam initio simulabat, in summam crudelitatem versa, conuulsis effraactisque, in toto regno, iuris, pudoris, officijque repagulis, populo ad omnem turpitudinem, factis, verbis, edictis, incitato; negata per summam vim summo Christi Vicario obedientia, detracta Deo reuerentia, omni flagitiorum genere demersus & obrutus, carnificina tandem conscientia stimulat, vereri coepit, ne regnum in se insurgeret, vrbes & munitiora quaque loca, defectione facta, correptisque armis, diademate, cuius erat appetentissimus, tamen indignissimus, priuarent. Vt ergo imminenti damno occurreret, periculumque omne declinaret, hominis consilium secutus, vrbiū oppidorumque muros euerti, munitiones regni prosterni diruique mandauit: & ne factis tam insolenti deesset velum aliquod, pacem